

225

223

229

219

234

214

274

174

324

124

Ende

Anfang

210

in asino, dummodo conventio patronorum cum eis teneatur, et quod pedibus incedens non a longe sequatur, quod oporteat eum exspectare. Ideo cogunt nos asinos recipere, ut semper simul maneamus, et ut sani in Jerusalem veniamus. Si enim peregrini deberent a mari pedibus ambulando ascendere in Jerusalem, et pertransire loca sancta in tantis caloribus et per viam arenosam in campestribus, et asperam in montanis, pauci vivi manerent, et propter calores et sitim et laborem in alieno aëre. Insuper si pedibus per loca sancta deberemus ambulare, quomodo possemus Arabes et rusticos in villis, qui insurgunt contra nos, effugere, vel eis resistere. Et ideo (B) pro bono nostro disponuntur nobis bestiae, et non propter despectum, ut inexperti dicunt. Igitur cum omnes essent parati, patroni cum praefectis processerunt in equis equitantes de mari, et nos in asinis sequebamur, et servi dominorum Maurorum post peregrinos equitabant, et asinarii nostri nos concomitantur; et in isto ordine omnes a mari cum magna festinantia recessimus. Et erat ingens exercitus collectus ex Sarracenis et Christianis. Et vertimus mari dorsum, quod vergit ab aquilone in austrum, et habet Joppen quasi medium portum. Nam ad austrum habet Jamniam et Gazaram, et ad aquilonem habet Caesaream Palaestinae, et Ptolemaidam, Tyrum et Baruthum et Tripolim; haec omnia reliquimus post nos ad mare, et contra Orientem processimus, per terram Philistim, non omnino planam, sed collibus humilibus et dissimilibus dispositam, et est terra bona et fertilis, si in ea essent cultores et habitatores, est enim terra sancta pro majori sua parte deserta. Cum autem dimidium miliare a mari essemus, venimus juxta civitatem Geth, quae quondam erat civitas bellicosissimorum gigantum, de qua Goliath Getheus natus fuit, et, ut historiae tradunt, S. Christophorus in ea genitus fuit, et ad regem Geth confudit David a facie Saul; de illa civitate dicunt historiae, quod natura loci sit, quod ibi generentur feroce et fortes homines, unde etiam novissimo tempore Christiani multo effuso sanguine ceperunt civitatem illam, et de ea proelia fortia Sarracenis intulerunt, demum eam iterum cum magna strage tam Christianorum quam Sarracenorum perdidérunt: quam infideles capientes usque ad solum destruxerunt,

